

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Initia doctrinae physicae

Melanchthon, Philipp

Francoforti, 1550

VD16 M 3471

De principiis

urn:nbn:de:bsz:31-106565

Etenim non solum in tuenda ualitudine, & medi-
tatione, sed etiam in explicatione doctrinae celestis,
necesse est naturam hominis, partes, & qualitates,
& causarum uarietatem cognoscere.

Et quanquam ex medicorum animaduersione,
primum haec doctrina extracta est, tamen postea u-
sus patet latius, & hoc ipsum, ut dixi, bonis menti-
bus gratum est, quod deducit mentes ad agnitionem
Dei, & humanam naturam, tanquam effigem, con-
fert ad diuinam.

DE PRINCIPIIS.

Cum quasi compositio corporum initio inue-
stigetur, inchoatur physica a doctrina de
principijs.

Nec prorsus uocat idem Aristoteles principium,
quod causam. Nam causae sunt, quae agunt aliquid in
effectione rei, aut sunt partes constituentes rem. At
principia sunt partes constituentes, aut inclinantes
ad mutationem.

Aristoteles autem omissa causa efficiente uniuersali, nominat tria principia, Materiam, Formam, et
Priuationem. Prius enim deducit auditores ad mate-
riam & corpora in conspectu posita, & eorum mu-
tationes, postea in fine physices differit de causa ef-
ficiente uniuersali, quia doctrina de serie causarum
tandem deducit mentes ad primam causam.

Tria prin-
cipia.

Ordine autem dicemus, quid materiam, quid
formam.

LIBER II.

formam, quid priuationem uocet. Sed prius recitabo, quomodo cum Aristotele congruam Platonis & Stoicorum sententiæ.

Plato tria constituit principia, Deum, Materiam, & Ideam. Eruditè à Deo orditur. Cum enim materia sine alio mouente & ordinante ociosa sit, necesse est addi Efficientem causam. Quare Aristoteles, etsi initio non fecit mentionem efficientis causæ, tamen postea eam adiunxit. Democritus uerò & Epicurei, cum prorsus reliquerint efficientem causam, non rectè iudicarunt, quia materia sine alio mouente, nec distribuit ipsa sese certis legibus, nec alia corpora gignit.

Forma.

Addit autem Plato Ideam, quod est ad fine Aristotelis sententiæ, qui addit formam materiæ. Sed Aristoteles tantum intelligit formam, quam induit materia. Plato uerò Ideam intelligit imaginem operis in mente diuina, iuxta quam, ut ita dicam, exculpitur forma, quæ in corporibus conspicitur, ac sicut Architectus imaginem ædificij prius in mente pingit, ita Deum cogitat imaginem totius opificij mundi, & ordinis corporum & animantium in sua mente primum quasi delineasse, ad quod exemplum deinde uniuersam machinam, & corpora, motusq; Stellarum, & animantia fabricauit.

Idea.

Hæc sententiæ Platonis eo est magis amanda & probanda, quod disertè adfirmat, mundum non casu, aut aliqua necessitate confluisse, sed deliberatione, &

ne, & quasi arte Dei constructum esse. Ideo libenter hanc Platonis sententiam initio recensui, ut pius Lector ea, quæ suprâ dicta sunt contra fatalem necessitatem, repetat.

Stoici duo principia ponunt, λόγος ἡγεῖ ὕλην, mentem & materiam, qui quod Efficientem causam complectuntur, rectè iudicant. Sed postea illi eternæ menti compedes iniiciunt, cùm sua somnia de necessitate addunt, quasi illa mens ideo talem fuderit naturam, & in æternum ita cieat eam, quia nec potuerit aliam fundere, nec possit eam aliter mouere, quàm sicut ruit materia. Relinquamus ergo Stoicorum & multarum aliarum Sectarum deliramenta, & Aristotelica mediocriter explicemus.

Cur Aristoteles non ut Medici ab Elementis orditur?

Initio in consideratione huius inferioris nature obseruandum est, alia corpora esse mixta, alia simplicia. Sunt autem prima & simplicia, quatuor Elementa, non enim iam de cælo dicimus, uidelicet, Ignis, Aër, Aqua, Terra. Ex his Medici componunt mixta, & in hæc resoluunt. Nec alia extrema oculis cerni possunt.

Querat igitur aliquis, cùm hæc sint prima corpora oculis subiecta, cur non in his resistit Physicus? quid opus est querere ultra hæc materiam, quæ non cernitur oculis, nisi quatenus ipsa elementa cernuntur?

Hac questione explicata, facilius intelligi poterit, quid sit apud Physicos materia.

Sic igitur respondeo: Physici non solum gignunt mixta corpora ex Elementis, sed querunt etiam causas, cur elementa inter sese misceri, ac transmutari possint, quia causas generationum & corruptionum in natura scrutantur. Non possunt autem corpora inter se transmutari, nisi subiectum cognatum sit, recipiens alteram formam, abiecta altera. Ex aqua

Aer ex aqua gignitur.

non possit gigni aer, nisi materia aquae recipere possit formam aeris, priore forma abiecta. Alioquin fieret aer ex nihilo. Sed natura testatur, non gigni ex nihilo aliquid. Sed enim id quod fuit aqua, prorsus deleteretur, nec quasi commune semen maneret, ut ita dicam, prorsus ex nihilo aer post dissolutam aquam existeret.

Vt igitur transmutari inter se Elementa possint, necesse est commune aliquod & cognatum principium esse, recipiens mutationes. Id cognatum in elementis dicitur materia, & principium corporum, & ultimum subiectum generationum.

Eruditè igitur Physici non ab elementis, sed à materia exordiantur, ut ostendant transmutationes non fieri ex nihilo, & monstrant, cur elementa inter se transmutari possint. Hic duae sententiae communis sunt, quae in Physicis subinde repetuntur, statim in aditu operis se offerunt. Prior: Ex nihilo nihil fit, quod intelligas de naturalibus generationibus, quales

DE PRINCIPIIS.

92

*Atque sunt in natura sic ordinata. Ceterum doctrina
Ecclesie adfirmat, Deum ex nihilo condidisse to-
tum mundi opificium, & animantia, que continet.
Sed Aristoteles ideo mundum esse æternum dispu-
tat, ne ab hac sententia discedat: Ex nihilo nihil fit.
Ideo mundum necessariò cum prima causa existere
cogitat, & tamen Deum mundi causam esse conce-
dit, uidelicet, ut ignis est causa caloris, qui semper si-
mul est cum igne.*

*Fatetur & hoc, non oriri motum à materia, sed
ab illa ipsa efficiente causa.*

*Altera sententia postea profutura est in multis
disputationibus etiam medicorum: In omni mutatio-
ne oportere subiectum cognatum esse, quod recipit
formam. De hac sententia infra dicitur, ubi disputa-
bitur, que corpora à quibus adfici possunt, seu que
nature inter sese agant et patiantur, ut calidum pro-
priè non certat cum albedine, nec figura cum cali-
ditate aut frigiditate, aut humiditate, aut siccitate.
Sed certantia inter se mutua actione, oportet esse,
ut infra dicitur, genere conuenientia, & differentia
specie, ut calor & frigus genere conueniunt, & spe-
cie differunt. Hac obiter hic recitamus, ut illæ com-
munissime sententiæ statim in initio descendentibus fami-
liares fiant.*

Quot sunt Principia?

Et quid est materia?

Tria esse principia Aristoteles dicit, Materiam,

N 2

LIBER II.

formam, & priuationem. Et cur hunc numerum posuerit, postea dicemus, explicatis definitionibus.

Materia, est primum subiectum unicuique, ex quo fit aliquid, tanquam ex eo, quod inest, ac non secundum accidens, & in quod ad extremum res resoluitur. Hæc descriptio uidetur obscura, quia nec cernitur oculis, nec est unquam materia, sine ulla forma. Sed cogitatione discernendum est subiectum, in quo forma & recipitur & pellitur.

Plato in Timeo hæc crassius pingit, quasi digitis monstraturus materiam: lubet Elementum aliquod intueri, quod cum uarias formas induat, intelligi oporteat esse aliquam naturam capacem uariarum formarum, priorem ipsis Elementis, ut cum uidemus aquam alias dissipari in aërem, postea aërem fieri ignem, alias concretam aquam densari, ac terram fieri, Non aqua inquit, sed illud quod alias aquæ speciem habet, alias aliam speciem, prima corporum quasi mater est. His enim uerbis in Timeo utitur. $\omega\acute{\alpha}\theta\epsilon\sigma\ \gamma\acute{\alpha}\nu\tau\acute{o}\tau\omega\varsigma\ \acute{\omega}\pi\acute{o}\delta\ \omicron\chi\eta\ \delta\iota\omicron\upsilon\pi\tau\iota\theta\eta\nu\eta$, id est, omnis generationis receptaculum est, uelut Nutrix.

Hanc quasi imaginem aspicientes, uidelicet uarietas aquæ mutationes, facilius cogitare possumus, esse aliquod commune Elementis subiectum. Et considerata hac imagine, facilius Aristotelica definitio intelligitur.

Ac ordine uerba definitionis expendantur. Dicitur materia primum subiectum, ut significetur natura quedam elementis communis. De-

Deinde sequitur in definitione apud Aristotelem:
 Ex quo fit aliquid, tanquam ex eo quod inest. Vult enim significare, materiam in composito manere, cum sunt substantiæ, & substantiarum originem esse materiam. Fit autem non secundum accidens. Id dicitur ad discernendas generationes, & artificiales mutationes. Nam cum Statuarius ex lapide Mercurium facit, fit aliquid, sed per accidens. Manet enim substantiæ prioris, forma substantialis. Sed artifex figuram efficit, quæ est alia atque alia partium Lapidis locatio, ut galeæ, capitis, colli, pectoris, brachiorum, dissimilis positus, figura est Mercurij. Hæc fabricatione forma accidentalis Lapidi additur. Hæc puerilia discrimina substantiarum & accidentium sint in conspectu.

Nec ero prolixior in huius definitionis explanatione, propter exilitatem harum disputationum. Illud tantum memineris, oportere Physicos hæc de materia querere, ut monstrant causam, cur Elementa inter sese transmutari possint, quod si quis animadvertet, & cogitationem de materia aliquam instituire poterit, & definitionem intelliget.

Quid est forma?

Est quæ dat esse rei. Hæc est vulgaris, & non inconcinna definitio, quàm intelliges facilius, si ipsam rerum generationem intuearis.

Erit igitur magis Physica definitio: Forma est finis generationis, hoc est, ipsa rei, ut ita dicam, ex æ-

LIBER II.

ificatio. Est enim, ut uocant, terminus generationis, ut res sic genita, absoluta, & ex a edificata, uocatur forma, ut forma substantialis bouis, uocatur, qua res illa sic existit quiddam uiuum, distinctum a ceteris animantibus. Nec imaginemur materiam & formam, quasi duo corpora esse, materiam, ut Roscium, formam, ut uestem histrionis, sed unica integra substantia genita, & quasi ex a edificata est, cum talis est materiae forma.

His declarationibus non subtilissimis contentissimus, quia haec Dialectica magis sunt, quam Physica. & qui postea in his disputationibus longius progredientur, & aliquomodo naturam aspicient, plinius haec intelligent.

Quid est Priuatio?

Mediocriter intelligi potest, cur materia & forma uocentur Principia, quia manifestum est, in generationibus oportere quasi semen aliquod esse, in quo aliqua forma paulatim adolescat. Et formarum non solum diuersitatem, sed etiam certum numerum esse oculi testamur. Alia forma est hominis, alia bouis, alia pomi, alia uiolae. Ac certitudo in tanta uarietate, manent enim specierum discrimina, ostendit, non temerè confluisse materiam, ut fingunt Epicurci, sed fuisse mentem architectatricem, quae quasi arte aliqua formas distribuit, intuens Ideam, seu exemplar prius cogitatum. Quare Plato satis crudité addidit principijs Ideam.

Sed

Sed unde Aristoteles Priuationem exculpfit ?
 Prodigij simile uidetur priuationem inter principia
 numerare, quæ defectum magis significat, quàm uim
 gignendi aliquid.

Etsi autem nouum inuentum est Aristotelis, ta-
 men non ineruditè cogitatum est. Et quid mouerit A-
 ristotelem, postea dicam, ubi prius monuero, quid si-
 gnificet uocabulum, quod Dialecticis satis notum
 est.

Priuatio non simpliciter significat negationem,
 Sed defectum formæ, quæ adesse poterat, & natura
 appetitur. Vt lapidem non dicimus cœcum esse, aut
 carere uisu, sed animal. Nam in animalis existere ui-
 sus potest, & quidem natura animalis appetit ui-
 sum.

Præterea & subiectum aliquod complectitur
 Priuatio, Negatio non item. Vt cum dico cœcum, sau-
 cium, complector subiectum, in quo est defectus, seu
 laceratio, ac disunctio partium. Sed cum dico: Bu-
 cephalus nihil est, negatiua oratio est, nullum subie-
 ctum monstrans. Hæc ex Dialectica nota sunt, nec
 sunt inania signa, sed in multis negocijs hac di-
 stinctione opus est, ut manifestum est aliquid inter-
 esse inter has formas loquendi: Lapis est natura
 non uidens: & Homerus est cœcus.

Duo igitur continet adpellatio Priuationis: Defe-
 ctum, & appetitionem, seu inclinationem, seu poten-
 tiam rucuem ad formam, quæ nunc quidem abest,

Priuatio

LIBER II.

sed tamen adesse potest. At utamur nos nomine Appetitionis, ut alij usi sunt, magis quam inclinatio- nis, aut potentie uocabulo. Nam & Aristoteles usus est uerbis ἐπιθυμία καὶ ὀρέγεται, quæ propius si- gnificant adpetere, cum ait: Materia sic appetit formam, ut foemina marem, & turpe pulchrum.

Explicato uocabulo, consilium Aristotelis confi- deremus.

Vidit Aristoteles, præsertim cogitans æternita- tem, mirabilem esse uim naturæ, ex una eademq; ma- teria ad siduis corruptionibus, alia atque alia corpo- ra generantem, quas corruptiones in cæteris rebus minus miramur, quam in homine. Intuens igitur mor- tem hominis, cogitauit miram quandam uim esse inci- tatricem materiæ ad alias formas, ut præstantissima forma tam atroci- ter abijciatur. Cum enim materia appetat formam, & naturali lege atque consensu mi- rabiliter ea delectetur, senel amplexa materia Plato- nis gratam formam, nunquam eam abiceret, nisi si- mul in materia esset priuatio, id est, defectus alia- rum formarum, & ingens appetitio ruens sine fine ad alias formas.

Vt igitur causam exponeret, non solum unde sint corpora, sed etiam unde sit illa corruptionum & generationum adsiduitas, pinxit in materia illam in- finitam adpetitionem, ruentem ad alias formas. Et hanc priuationem uocauit.

Illius prior tota hæc doctrina fit, collata ad mor- tem

tem hominis, ubi priuationis scuitia conspectior est. Si enim homo non esset mortalis, sciungeremus eius materiam à plantis & pecudibus, & corporibus inanimatis, nec uideremus in infinitum fieri materiae uicisitudines, ex pomo carnem, ex carne hominem, & rursus ex homine resoluto in Elementa, pomum.

Sed Aristoteles sentiens infinitam eternitatem esse generationum & corruptionum, imaginatur hanc eternitatem impossibilem esse, nisi similis sit materia hominum, & aliorum corporum, Ideo mortem existimat naturæ ordine competere homini, & priuationem illam, id est, ruenis materiae appetitionem sine fine, pariter tribuit hominum, & aliorum corporum inferiorum materiae. Cogitemus igitur, quantam præstantiam amiserit homo, postquam morti subiectus est, & ad hanc doctrinam de priuatione collochemus filium Dei. Hic tollit rursus ex hominis natura Aristotelicam priuationem, quia mirando, & inenarrabili modo millies dissipatum corpus colligit, & liberat ab interitu. Non est iam in Elie corpore Aristotelica priuatio.

Quoties igitur de priuatione in his physicis materijs differimus, humanæ miseriæ & mortalitatis nomen audire nos agnoscamus, & rursus ab hac priuatione liberari nos per filium Dei sciamus.

Postquam hæc exposui, ut consilium Aristotelis magis conspici & intelligi possit, addam definitionem usitatam.

Priuatione
quid sit.

Priuatione est defectus formarum, quas adpetit materia, propter quem materia obnoxia est mutationibus. Nam propter defectum & idonea est ad alias formas recipiendas, & ruit, ut aliam formam recipiat. Quare Aristoteles dixit, priuationem causam esse corruptionis: $\delta \lambda \alpha \rho \phi \theta \epsilon \iota \rho \acute{o} \mu \epsilon \lambda \nu \alpha \nu \epsilon \rho \tau \omicron \upsilon \tau \omicron \varsigma \epsilon \sigma \iota \sigma \iota \gamma \nu \omicron \iota \varsigma$, que ipsa sententia indicat hoc fuisse consilium Aristotelis, quod recensuimus, uidelicet, ut causa ostendi possit, cur sint aeternae uicisitudines generationum & corruptionum, positam esse in materia hanc appetitionem ruentem sine fine ad alias formas.

Ita ne priuationem & formam ponit Aristoteles, ut Empedocles litem & amicitiam principia posuit?

Non idem consilium fuit, Sed Empedocles, ut Medici, exorsus est a qualitatibus Elementorum pugnantibus. Ut sensu percipimus fieri alterationes, quia calor & frigus inter sese pugnant, item humiditas & siccitas. Ex alterationibus autem temperamenta labefactantibus, fiunt corruptiones. Hec sententia plana est, nec tam procul querit causas mutationum, ut Aristotelica.

Vocauit autem Empedocles Litem, dissentientes & pugnantes inter se qualitates. Et Litem causam esse corruptionum ait. Rursus amicitiam ait causam esse generationum, & sic uocat qualitates
inter

inter se consentientes, Calidum procreat calida, hu-
midum humida. Hæ sententiæ congruunt cum phys-
icis principijs: Contraria à contrarijs corrumpi,
Similia à similibus oriri & ali. Item: Generatio uni-
us, est corruptio alterius. Nam cum ignis gignitur
ex aëre, necesse est aëris formam expulsam esse.

Cum autem Elementa contrarias qualitates ha-
beant, pugnant inter se, & facilius est transmuta-
tio eorum, quæ habent aliquam cogitationem, hoc
est, quarum aliqua est similis qualitas, ut facilius ex
aëre fit aqua, ut ex uaporibus pluuie fiunt, quàm ex
aqua ignis. In hanc sententiam inquit Empedo-
cles:

Iungit amor quandoque elementa, & semina rerum,
Dissiliunt odijs eadem certamina rursum,
Sic res gignit amor, sed non durabile quidquam
Nascitur, inq; uices mutantur cuncta subinde.

Ἄλλοτε μὲν φιλότῆσι συνερχόμεν' εἰς ἓν ἅ-
παντα,

Ἄλλοτε δ' αὖ δ' ἴχ' ἕκαστα φορένμενα νεύκτες
ἔχθρι.

τῆ μὲν γίγονται, καὶ οὐ σφισίμ' ἐμπεδ' οὐ
αἰώρ.

τῆ δὲ τὰ δ' ἀλλάσσονται δ' ἰάμπερες, οὐ δ'
ἄμα λήγει.

Inquit & alio loco.

Γλυκὴ μὲν γλυκὴ μάστιγε, πικρὸν δ' ἐπίπι-
κρὸν ὄρουσε. .i. Dulcia dulce trahunt & amara se
quuntur amara.

Ex

LIBER II.

Ex his uersibus satis apparet, quid litem, & amicitiam nominauerit, & cur ea uelit esse principia, quia uidelicet in Elementis & alijs corporibus causas alterationum esse uidet pugnantium inter se qualitatuum actionem, Et faciliorem esse transmutationem, ubi aliqua similis est qualitas. Pugnantia pelluntur à pugnantibus, & similia rapacia sunt similibus, ut dicitur: Simile amicum simili.

Onditur igitur physicen, ut Medici, ab Elementis, & eorum qualitatibus. Nam & Galenus in libro de Elementis abiecit illas nimis exiles disputationes de Materia prima, de qua Aristoteles loquitur. Et Hippocrates reprehendit Melissum, qui dixit unum quoddam esse principium commune, ex quo omnia alia corpora orta sint, tanquam ex semine. Hippocrates contra inquit, corpora mixta necessario ex pluribus & diuersis corporibus constare, quia alioqui non essent obnoxia alterationibus atque corruptionibus. Nec uero multum differt sententia Melissi ab Aristotelica.

Corpora
simplicia.

Sed his tenuibus disputationibus omisis, teneamus, quod uerum & certo comprehensum est, prima corpora simplicia esse, Caelum & quatuor elementa, ac deinceps mixta ex Elementis extruamus, nec curiose aliam priorem materiam quaeramus.

Prætereo etiam uolens multorum furores, de principijs. Democritus componit mundum ex atomis, & hos ait subinde aliter rueri, ac propterea subinde

inde alios mundos nasci, & eosdem occidere. Sicut **Mundus**
Lucretius libro secundo de atomis inquit: **ex ato-**
mis.

- Semina mundi,

Multi modis uolitant æterno percita motu.

Hæc prodigiosa deliramenta Epicurus postea
 amplexus est, ut sunt multa prauæ naturæ, quæ tan-
 tum peruersitate quadam amant absurdas opinio-
 nes, non quòd probent. Sed omnes sani explosurunt.
 Ac Cicero de Democrito inquit: Neminem maiore
 autoritate, maiores nugæ dicere. Et facilis est refu-
 tatio, impossibile enim esset manere easdem leges
 motuum, & species certas omnibus temporibus, si
 confusio atomorum subinde alios mundos gigne-
 ret.

Addatur & hæc ratio: Cùm impossibile sit in-
 telligentem naturam à bruta oriri, non existit huma-
 na natura ex atomis sine memore aliqua & casu, cùm
 humana natura non solum sit intelligens, sed etiam
 uniuersaliter habeat insitas noticias firmas, & im-
 motas, ut numeros, & leges naturæ, quas congruere
 ad aliquam æternam regulam in mente conditricem
 necesse est.

Nec illud dici potest infinita esse principia, seu
 magnitudine, seu numero, quia nulla est magnitudo
 actu infinita. Et si numero infinita corpora essent,
 etiam essent infinitæ magnitudines, ut de atomis sino-
 gunt. Hæc omnia refutantur unica satis illustri de-
 monstratione, quam supra recitauimus, quæ ostendit
 du, man-

101
 dit, inaudum esse corpus finitum, quia impossibile est
 corpus infinitum moueri circulariter.

Hanc de principijs doctrinam ab Aristotele tra-
 ditam, breuiter complexi sumus. Nec argutas dispu-
 tationes, quæ hic agitantur, persecuti sumus. sed hæc
 inuicia, quorum cognitio ad sequentia prodest, excer-
 psimus, ut ea, quæ inde extruuntur, facilius intelligi
 possint. Postquam enim in primo libro physicorum
 Aristoteles de materia corporum & forma dixit,
 postea in secundo discernit res naturales & artifi-
 ciales, & cum de principijs rei naturalis dixit, po-
 stea de causis & de proprietatibus, motu, loco, &
 tempore differit.

DE RE NATVRALI.

Quæ sunt res naturales?

Physicus necessario discernit res naturales ab
 artificialibus. Querit enim causas non eorum,
 quæ uoluntate hominis & artibus efficiuntur, quor-
 um ratio extruitur ex noticijs, quæ regunt uitam,
 aut gignunt artes, sed propagationis & proprio-
 rum motuum, quos habent corpora per sese ex sua
 substantia. Et aspicienti res, non difficile est iudica-
 re, quæ sint naturales, quæ artificiales, ut Lapis na-
 scitur talis, & per sese fertur deorsum. Machina
 bombardica arte talis facta est, & ars inuenta est
 ad expellendum globum. Cum enim incendium effi-
 catis-